

regia penes nostram Maiestatem reseruanda duximus; fidelitati vestre et cuiuslibet vestrum firmissime mandamus, quatenus vniuersis et singulis nostris litteris preceptoriiis, nomine nostro Imperiali et Regali scribendis, sigilloque Reuerendissimi in Christo Patris Domini Georgii Archiepiscopi Strigoniensis Vicarii nostre maiestatis, cui ad id faciendum cum plena nostra auctoritate mandatum dedimus speciale, consignandis, tanquam proprio sigillo nostro sigillatis, omnimodam obedientiam adhibere debeatis, fidelibus nostris prefatis Comiti Cilie et Bano, eiusdemque Vicebanis, nec non Vicecomitibus ac Iudicibus Nobilium Comitatus prenotati hoc idem firmis nostris damus in mandatis. Et aliud in premissis nullo modo facere presumatis. Datum Basilee feria quinta proxima post festum Beati Ambrosii Episcopi et Confessoris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo trigesimo quarto, regnorum nostrorum Anno Hungarie etc. XLVIII^{to}, Romanorum XXXIII^{to}, Bohemie XIII^{to}, Imperii uero primo.

(Locus Sigilli Regii appressi.)

Originale in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 16.

CXXXV.

Anno 1435. die 4. Aprilis. Posonii.

Insulam Vegliam ad Coronam et Regnum Croatiae pertinuisse, hoc Documento probatur.

Nos Capitulum ecclesie Zagrabiensis memorie commendantes tenore presentium significamus quibus expedit vniuersis. Quod nos litteras Serenissimi principis domini Sigismundi, dei gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Regis, domini nostri naturalis, Introductorias, Statutorias et Restatutorias, nobis preceptorie loquentes, obediencia, qua deuit, recepimus, in hec verba: Sigismundus dei gracia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, fidelibus nostris Capitulo ecclesie Zagrabiensis Salutem et gratiam. Noveritis, quod nobis tempore date presenciarum, vna cum Prelatis et Baronibus ac dicti regni nostri Hungarie proceribus pro prenomatis regni nostri negociis expediendis, hic Posonij constitutis, Spectabilis et Magnificus Vricus Comes Cilie, filius Spectabilis Friderici similiter Comitis Cilie ex Magnifica domina Elizabeth vocata, filia olim Magnifici Stephani, Segnie, Wegle et Modrusse Comitis, natus, presentibus et audientibus Spectabili ac Magnificis Johanne et Stephano, Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie predictorum Banis, Item Nicolao, Bartholomeo, Dionysio, Sigismundo, Andrea et Ivano, filiis quondam Nicolai, similiter Segne,